

11.9.5,

Ann. VIII.

ROMAE, Kal. Septembribus MDCCCCV.

Num. IX.

VOX URBIS


DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

SEMEL IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 4,80;
ubique extra Italiam Lib. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in commentarii operculo
Lib. 0.10 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONIKA RODZINNA,"

VARSAVIAE POLONORUM
Rakowskie Przedmiescie, 15.

IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES

LONDON W.
28, Orchard Street.

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET
S. Sed. Ap et S. Rit. Congr. Typ.

RATISBONAE in BAVARIA.

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

MONTREAL
1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

Mauritana res.

De pravorum librorum lectione ab adolescentibus arcenda.

Varia latinitas. - Paroemiae sive adagia de amicitia.

Fabulae selectae Fontanii a Io. Bapt. Giraud latine redditae, passim retractatae a Fr. Xav. Reuss: CXL. Leaena et Ursia. - CXLI. Leo, Simius et duo Asini. - CXLII. Villicus, Canis et Vulpes. - CXLIII. Aranea et Hirundo. CXLIV. Senex et tres iuvenes.

Ex Italis urbibus. - Augustae Taurinorum solemnia.

Vitae fases.

Epistolarum diribitoria apud veteres.

De Sacra Congregatione Concilii Tridentini Decretis interpretandis praeposita.

Ex SS. Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.

Acta pontificia. - I. Decretum seu instructiones circa editionem et approbationem librorum cantum liturgicum gregorianum continentium per SS. RR. Congr. vulgatum. - II. Pontificiae Litterae ad R. D. Ludovicum Péchenard, Proton. Apostolicum, Catholicici Instituti Parisiensis Rectorem, de sacris profanisque disciplinis optime excolendis.

Diarium Vaticanum. Coram SSmo admissiones. - Pontificiae electiones. - Vita functi viri clariores. - Varia.

Annales: Russorum Iaponiorumque legatorum de pace conventus. - Asiatici belli vices. - Hora postrema. - Russorum civiles res. - Regalia itinera. - Norvegorum secessio; Mauritanum disserimen. - Balkanicu eventus; Cretensis seditio. - In Argentinae reipublicae praesidem facinus tentatum.

Publici per Orbem coetus legibus ferendis.

Aestiva diverticula: Lipenius et Genutius.

Aenigmata. — Epistolarum commercium.

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

MDCCCCV

Sociis et lectoribus

Commentarii nostri humanissimis.

Novo superveniente anno, quem VIII Vox Urbis inscribere gloriatur, non quidem, ut plerumque assolet, nova et magnifica promittemus; non enim sociis et lectoribus, qui constanter in itinere, neque eodem brevi atque expedito, nos comitati sunt, magniloquis verbis temerariisque promissionibus illudere opus est nobis, sed tantum ea adnotare quae in eorum veram utilitatem adducere constituimus.

Vox Urbis itaque in annum MDCCCCV ea erit, quam socii voluerunt: commentarium menstruum, qui non unum Urbis augustae matris sermonem, sed omnem cultum et humanitatem referat, eaque omnia quae inde, veluti ex radiationis centro, animos usque a longissimis orbis partibus amice cum genitricis animo coniungere valeant. Disputationes igitur, quae plerosque populos aliquo modo attingant, a publica re ad bonas artes, a litteris ad historias, a philosophicis ad sociales quæstiones suum locum apud nos hoc etiam anno invenient, atque simul nuncii, significationes, et documenta, quae tum circa catholicam rem, quam tueri gloriamur, tum circa eventus peculiari nota dignos, in varietate quamquam, *simplex dumtaxat et unum* opus reddant nostrum.

Sed aliud quoque expediemus, quod non paucorum siorum desiderium explebit; articulos scilicet in quibus, quasi in parva tabula, simplici eoque facili stylo, descriptionibus, narratiunculis, dialogis, argumenta vitae maxime communia tractentur, unde liceat colloquia latine inire atque alere. Ita finem illum supremum, ut latinus sermo universalis, prouti dicunt, reducatur, non modo obliviscemur, imo etiam propius prospiciemus.

* * *

Maiora vero comparavit administrator; qui non modo immutatum reliquit pretium subnotationis, quod est in Italia lib. 4, 80; ubique extra Italiam lib. 6, 25 (doll. 1, 25; sch. 5; march. 5; rubl. 3; cor. 6, 25); sed ad magis magisque commentarium vulgandum curis creditum suis rationes vere favorabiles cavit, quae sequuntur:

Si quis socios novos duos comparaverit, pretiumque eorum subnotationis miserit, subnotationem gratis omnino sibi habebit; eoque bono gauderi poterit ipse subnotator novus, qui, sua vice, eadem gesserit. Quum iste scilicet socios alios duos nobis acquisiverit, facultas ei erit non duorum pretium, sed unius tantum mittendi, atque alterum faciendi suum, ut pretio pro subnotatione iam ante misso sese resarciat. Neque eum pudor teneat novos

subnotatores de favore ipsi concesso aliquo modo certiores futuros: hi enim receptionis schedulam, veluti si pecuniam directe per se miserint, regulariter accipient. Haec una conditio, ut novi hi subnotatores intra menses duos, a propria cuiusque subnotatione recurrentes, requirantur, utque omnia ad Aristidem Leonori equitem (Romam in Italia, via Alessandrina, 87) recto tramite mittantur.

* * *

Quid plura?... Plura tamen administrator concedere sociis voluit, eaque paene incredibilia; id enim effecit, ut *VOX URBIS* socii e loco domicilii sui in Urbem, atque inde in domicilium suum reverti gratuito possent. Id iis paratum est — bibliopolis, uti patet, exceptis — qui ante Iulium mensem an. MDCCCCV sexaginta novas subnotationes collegerint earumque pretium integrum ad administrationem miserint. Societati itinerum notissimae Cook et Son munus commissum; ea, ubi primum a nobis certior facta erit, epistolarum commercium cum socio inibit, omniaque disponet ut is nullo impedio ab *Europæ* loco ubi vivit Romam usque, atque Roma in domum suam, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus, iter aggrediatur. Estne difficile nimis sexaginta socios novos comparari? En rursus benigne succurrit administrator: qui triginta tantum collegerit, dimidiatum pretium itineris habebit.

* * *

Sunt tamen qui eiusmodi curas negligent: num his praemium nullum erit? Atqui erit sociis omnibus, qui ante expletum Februarium mensem an. MDCCCCV debitum solverint suum; idque, more nostro, pulcherrimum: *imago heliotypice expressa metr. 0,32 × 0,45 Pium X Pontificem referens sacris ad solemnia indumentis ornatum atque benedicentem.* — Quod si denique socius tabulam illam maluerit metr. 0,22 × 0,45 iam in nostrum commodum unice superiore anno desumptam, ac Pontificiam dominationis auspicationem referentem a Pio PP. IX an. MDCCCXLVI peractam, quum exemplaria nonnulla apud nos sint adhuc, eam requirat, nosque, donec possibile erit, ei morem geremus.

* * *

Restat nunc ut sollicitudini nostraee siorum favor in dies crescens respondeat.

Vox Urbis.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 4,80 — Ubique extra Italianam:
Lib. 6,25, Doll. 1,25, Sch. 5, M. 5, Rubl. 3, Coron. 6,25

SEMEL IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:

ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

MAURITANA RES.

MAURITANUM imperium quum nemini sit subditum, nemini tributa solvit; Turcarum enim regi una tantum religionis causa addicitur; Tangeria urbs eius, quae portum contra Gibraltariam habet, ostium interni maris ipsa concludit.

Anno MDCCCCIV Galli, Iberi atque Angli foedus inter se Madriti communicarunt, ut ad vicesimum quintum annum integrum imperium ea commerciorum lege custodirent, quam ab « aperto ostio » nuncupari solet. Addiderunt autem foederi articulos quosdam, qui Gallis praesertim, ut finitimus, iisque quorum magis interesset, curam servandae pacis in imperio traderent et quodammodo aditum ceteris gentibus intercluderent.

Ita Delcassé, rerum ad exteriores gestor atque administer, unam mentem septem per annos habuit, ut Germanos omni amicitia privaret, quod opus, Anglis adiuvantibus, paullatim ad exitum prospere perduxit. At quum bellum Iaponios inter et Russos initum est, Germani, Russorum omni metu soluti, qui eos retinebat, rem totam disiecere.

Namque Vilhelmus Caesar, Mediterraneum iter postremo aggressus, brevi mensis spatio ea perfecit, quae plures viri praeclari longo consilio exstruxerant. Venetias quamvis ille non adierit, neque aperte particeps colloquii fuerit illuc habitu inter Tittonium Italum et Golucowskium Austrorum rerum ad exteriores moderatorem, plane tamen sensit inde triplex foedus optime validum adhuc manere, hostesque finitimos ita labefactatos, ut Tangerium portum visere Caesar ipse non dubitaverit.

Quo quum appulisset, propitium consiliis suis locum invenit. Galli enim Madritensi illo foedere nondum usi erant nihilque egerant adhuc, ut Mauritaniam gentem melius meliusque sibi addicerent. Mauritania omnis regio maximis seditionibus perturbabatur, interque regem eius atque perduellum ei ducem bellum ininterruptum erat: nulla itinerum securitas, nulla urbium quies: caedes, furta, pugnae ubique patabantur.

Hisce de causis Vilhelmus cum regulo Fez in urbe colloquitur. Quae dixerint novit nemo; at ferme ex regni perturbatione ius suos tuendi subditos Caesar ipse sibi quoque vindicavit.

Eam ob rem Berolinum regressus, Tatembachium dynastam ad Mauritanos mittit, qui foedus Gallorum Anglorumque disiicere omni ope conatur. Prima facie Mauritanus regulus Germano legato acriter obsistit; illo vero acrius animadvertisse, dum Gallica diaria gesti laetitia et fiducia eriguntur, novae res matrarent. Alfonsus rex Gallos primum, mox Anglos lustrat foedusque triplex ab iis una secum initum hisce confirmat; at silent de Mauritanare Iberi, insolito silentio devinetti, dum Anglos legatos Gallosque, Gerardum Louther atque Renatum Taillander, regulus Mauritanus repellit. Contra Tatembachio regulus assentiri iam videtur, imo brevi suos seniores cogit, qui post diuturnam disceptationem Tatembachii rogationem ulti accipiunt, et nova habita sessione Gallici legati condiciones omnino respunt.

Simul nunciatur in diariis Anglorum fore ut Mauritani iuvenes selecti a rege Berolinum teneant, sua ut ibi studia confiant; fore ut Germani argentarii de Tangeriano portu amplificando consilia communicent, et pecuniam parent. Multiplicantur itaque dubia atque anxieties, quoadusque Delcassé administer, ignotam adhuc ob causam, suo muneri, quod tandem tenerat, valedicit. Vir itaque qui Germanos omni amicitia privare conatus fuerat, infectum opus linquit.

Rouvierius illi sufficitur: redit quies. Radolinius, Germanus legatus ad Gallos, atque Rouvierius de re diu disceptant. Germanis obsistunt acriter Angli; illi sua iura asserunt, hi Gallis omnino sese favere obtestantur. Sed ea inter, perduellis ille regulus imperium magis magisque perturbat, viatorum comitatus sibi tributa solvere cogit, Odyam urbem obsidione cingit.

Postremo Rouvier Germanis respondit: foederis quod cum Anglis Galli paraverant historiam narrat: at nec consilia sua aperit nec quidquam promittit, semperque in eodem statu quaestio manet. Iamque suspicantur multi Anglos cum Gallis novum foedus parare atque utramque gentem Germanis obsistere velle. Sed de pecuniaria et negotiosa ambitione res agitur, atque de negociosis melius quam de iniuriis animi componuntur. Bellum plurimi nunciant iam atque multi metuunt; at tandem Galli, omni

superbia demissa, Germanico consilio assentiuntur, omniumque nationum Europaearum de Mauritanio imperio cogendum coetum concedunt. Atque utinam in tanta animorum contentione absque armis et ira tantam discordiam felici triumpho componant!

DE PRAVORUM LIBRORUM LECTIONE
AB ADOLESCENTIBUS ARCENDA.

ANIMUM mihi saepenumero ad rei litterariae, et adolescentium, qui nobis concredi bonis artibus et pietate imbuuntur, vices referenti acerba sane cogitatio veterem curam doloremque renovavit. Namque illa ingenia, quae variis tentaminibus exculta feliciter adolescentebant, illi mores, quos integros, omnisque labis expertes solers docentium amor praestiterat, illae virtutes, quae pulchiores in iuvenili fronte renidebant, tristi conversione non raro extinguuntur. Quoties ex imo corde suspiria ducentes ingeminare debuimus: Heu fallaces hominum cogitationes! heu spes in irritum collapsae! heu tot annorum labores uno die, uno horae momento pessumdati! Me quidem exanimat, et propemodum a capessenda docendi provincia deterret illa a virtute, quam ab iuente aetate ad adolescentiam usque perduerant, ad omne nefas traductio, quae in aliquibus tanta est, ut vel exile vestigium primaevi decoris desideremus. Sed quoniam in causas calamitatum inquirere, easque cogitatione complecti, non mediocri est ad eadem mala prae-cavenda adiumento, nec leve exhibit in dolore lenimen, idcirco non inutile putavi fontem, unde tot in adolescentium mores, indeque in humanam societatem aerumnae dimant, nunquam interposita mora repetere, eumdemque detectum omni, qua per nos licebit, ope declinare. Enimvero me non fugit, succrescentem adhuc, nec aetate nec usu confirmatam virtutem medio in cursu saepe consistere et frangi, antequam metam attingat. Hinc enim pravae vivendi consuetudinis exempla, illinc liberiora cum aequalibus colloquia, hinc remissior parentum cura, illinc suomet arbitratu vivendi potestas virtutis adolescentis robur labefactant. At vero in tanta discriminum varietate, in quae iuvenum virtus vocatur, nulla capitalior pestis, nulla pernicies lethalior, quam ex impiis libris haustum venenum, quod veluti venis inclusum omne animi, ingenii, religionisque lumen extinguit. Huic itaque longe lateque grassanti morbo, novisque in dies viribus ingraescenti vestram, o quibus adolescentium institutio committitur, fidem, vestra consilia obiicie, ut sar-

tam tectam ab hac morum labe succrescentem futuri temporis spem pro virili tueamini, et quantum studii et laboris ad eam pravis volunminibus labefactandam scelesti homines conferunt, tantundem vos ad eiusdem incolumentem convertite.

Molles enim, et ad quam quis expetierit, formam exprimendam cereos adolescentium animos esse, nemo est, qui ambigat. Vividior mens rerum imaginibus acerius percellitur, animus cupiditatum, quippe quae nondum expletae, aestu facilius inflammatur, aetas nullo usu erudita veteratorum technis absque negotio capitatur. Utque paries recens colores, quibus inspergitur, imbibit altiusque servat, ut arbuscula flexum, quem villici manus optat, adolescentia retinet, ut rivulus alvei sinum, quem agricola tellure deducta recludit, pronus facilisque sequitur, sic pueros, quo quis cupit, impellit, unde mavult, reducit. Enimvero fingite mente in adolescentis, qui aetatem primam in litteris et pieitate traduxit, manum venire librum, in quo velut in hortulo floribus halante, areolarumque varietate descripto, lateat anguis; dulcedine captus non prius oculos a legendu removebit, quam alte animo adactum vulnus persentiet. Si enim scriptorum, qui ab eloquentiae artibus, poeseosque veneribus arma mutuantur, insidias, si adolescentium mores et ingenia rimeantur, rem non aliter se habere perspiciemus. Illae siquidem ad voluptatem confictae narrationes, — de romanensibus libellis praesertim loquor, qui, religionis bonarumque artium detimento, orbis regiones infecerunt, — illi novi nec opinati eventus, illa morum, vestium, regionum varietas abducunt quodammodo, secumque legentem ita rapiunt, ut sui, bonarumque artium oblitus nil agitare mente, nil secum reputare, nil diu noctuque animo versare queat, nisi illa commenta, illasque voluptatum imagines, quas toto pectore hausit. Quod si ex hisce libellis delectatio sola peteretur, nullumque in religionem, probosque mores malum redundaret, haec tamen temporis iactura ut maiori scientiae quaestui officiens foret repudianda.

A. ANGELINI.

VARIA LATINITAS

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

DE AMICITIA (1).

Amicus magis necessarius, quam ignis et aqua. — Hyperbole proverbialis, admonens neminem esse tam divitem aut potentem, quin opus habeat amicorum officiis. Quemadmodum enim citra ignem et aquam non constat hominum vita, ita nec sine consuetudine atque opera familiarium: quos ob id ipsum Latini necessarios vocant, ut amicitiam necessitudinem. Inniuit adagium duo quaedam maxima commoda colligi ex amicitia, voluptatem et usum. Nihil est enim neque iucundius igni, neque utilius aqua. Quam ob rem scripsit Horatius:

Nil ego contulerim iucundo sanus amico.

(1) Cfr. num. VII.

Item Euripides apud Plutarchum: « Dulce est tueri hominis amici lumina ». Recensetur adagium a Plutarcho, commentario quem inscripsit *Quo pacto sit dignoscendus assentator ab amico*: « Quapropter dicunt etiam amicum igni quoque et aqua magis necessarium esse ». Exstat et apud Aristotelem in *Moral.*, et apud Ciceronem in *Laelio*; hodieque vulgus indoctum habet in ore quod verissimum: « Tolerabilius vivis sine pecunia, quam sine amicis ».

Neque nullis sis amicus, neque multis. — Carmen illud Hesiodi sieuti alia pleraque cessit in proverbium: Μηδὲ πολύξεινον, μηδὲ ἀξιων καλέσθαι, h. e. « Nec multis, at nec nulli dicaris amicus ». Aristoteles (*Moral.*, IX) tamquam proverbio iactatum citat, ac dictum probare videtur, propterea quod prorsum citra illius amici consuetudinem videre ferinum atque iniucundum esse videatur. Rursum nec vehementer amare possumus simul multos, nec pluribus morem gerere. Quin et Lucianus in *Toxaride* narrat apud Scythes πολυφλίξ, id est complurium amicitiam, infamem fuisse; quamquam diversa sentit M. Tullius in libro *De amicitia*, et Plutarchus in commentario Περὶ πολυφλίξ.

Unus Deus et plures amici. — Contra superiorem paroemiam admonet quamplurimos esse parados amicos, quod hi plurimum opitulari possint.

Non est amicus absque temporis mora. — Allata sententia ab Aristotele (*Moral. Eudem.*, VII), notatur quoque apud Plutarchum Περὶ φιλοδελφίας. Meminit M. Tullius in sermone *De amicitia*: « Verum illud est, quod vulgo dicitur, multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiae munus expletum sit ». Hac pertinet illud quoque Sophoclis in *Oedipo*, quod latine sonat: « Mora temporis probum arguit tantum virum, at improbum vel unico agnoscas die ».

Novos parans amicos, ne obliviscere veterum. — Torqueri potest et ad mutua studia, ad quae convenit nonnunquam respicere, etiam posteaquam diversae te addixeris disciplinae; veluti si moneas qui se ad iuris studium contulerit, ut obiter recurrat ad bonas litteras. Usurpatur ab Hermolao Barbaro in epistola quadam ad Picum Mirandulanum.

Amicitia stabilium, felicitas temperantium. — Aristoteles (*Moral. Eudem.*, VII) sententiam hanc velut e medio sumptam refert, amicitiam esse stabilium, et felicitatem eorum qui sua sorte contenti sunt. Re quidem vera amicitia virtute, non pecunia aut forma concilianda est; si enim rebus caducis concilietur, caduca sit et ipsa necesse est. Nihil autem in rebus humanis stabile praeter unam virtutem, quae sola fortunae ludibriis obnoxia non est. Deinde felicitas hominis non est in facultatibus sita, quae cupiditatem animi non explet, sed irritant; verum in hoc, ut suam quisque fortunam boni consulat. Aristoteles (*Rhet.*, II) pro exemplo sententiae simplicis ac dilucidae, si quis inspiciat, ponit hoc versiculum: Οὐδεὶς ἐραστὴς ὅστις οὐκ ἔστι φίλος, h. e.: « Haud quisquam amator est, ni amarit iugiter ». Huic adstipulatur illud Senecae: « Amicitia, quae desinere potuit, nunquam vera fuit ».

Ubi amici, ibi opes. — Dicitur a Plauto in *Truculento*, et citatur a Fabio proverbii vice in libro *Orator. institut.*, V. Sensus est potiores esse amicos quam pecuniam, et ad vitae praesidium plus habere momenti amicos citra pecuniam, quam absque amicis opes. Unde et apud Scythes, auctore Luciano, is habebatur ditissimus, qui certissimos et optimos amicos possideret.

Queruli in amicos non sunt ad amicitiam idonei. — Connivere ad amicorum vitia, haec res et iungit iunctos et servat amicos. Sententia ab Herodoto desumpta videtur.

Mores amici noveris, non oderis. — Porphyrius in Horatium hunc versum proverbiale admonet fuisse; Manucius vero inter Graecas sententias repertum se restituisse affirmat. Etenim huiusmodi: Φίλου τρόπους γίνωσκε, μισήσῃς δὲ μή admonet in amicorum moribus quaedam vitia dissimulanda, sic ut intelligantur quidem, sed tamen tolerentur, ne severior et oculatior in observandis amici malis subvertas amicitiam. Atque id praeecepti locum habebit in levioribus morbis, non in iis quae ad famam aut ingens periculum pertinent amicorum. Non nosse amici vitia est hominis parum diligentis quos diligat; odisse, parum civilis. Noscenda sunt ut aut corrigas, aut certe minuas; at non sic ut ob ea videaris amicum odisse. Siquidem nulli futurus est amicus, qui nihil vitiorum in amico ferre possit.

Amicorum est admonere mutuum. — Sententia proverbialis videtur, quam legimus in *Iliad.*, I : Αγαθὴ δὲ παραίρασίς ἐστιν ἐτάξεων; h. e.: « Bonus est affatus amici admonitoris ». Hanc libebit usurpare si quando dicemus amici munus esse, ut amicum, si quid erret, liberius admoneat.

Amicus cum vitiis ferendus. — Convenit cum eo: « Mores amici noveris, non oderis »; non enim — inquit Chrysostomus — fratres tantum sumus, sed et membra et corpus unum. Cfr. etiam Horatium, *Satyr.*, I, 3.

Cum amico non certandum aemulatione. — Cum amico et bene merito non est suscipiendum certamen, ne quid obsecuretur amicitiae propter aemulationem huiusmodi comitem contentionum. Id innuit Homerus in *Odysseae* IX quum Ulyxes excipit Laodamantem quod hospes esset: Τις ἄν τι φιλέσοντι μάχοιτο; h. e.: « Quis benigno cum hospite pugnet? »

Amicus usque ad aras. — Responsum id est a Pericle, quum amicus quispiam rogaret ut in caussa quadam sua gratia falsum deiuraret, uti refert Gellius, itemque Plutarchus. Admonet proverbium nonnunquam ut consulamus amicorum commodis eorumque voluntati morem geramus fas videri paullulum a recto deflectere, verum eatenus, ne propter hominem amicum numinis reverentiam violamus. Porro quatenus et quoque sit ab honesto deflectendum amici caussa, copiose doceque disputat idem Gellius (*Noct. Att.*, I, 3).

Amicus Plato; magis amica veritas. — Contra superiorem paroemiam, istud seu proverbium, seu apophthegma innuit nullum hominem tam carum nobis esse debere, ut in illius gratiam veritas ullo modo supprimatur (Galenus).



FABULAE SELECTAE FONTANII
A IOANNE BAPT. GIRAUD LATINE REDDITAE

PASSIM RETRACTATAE A FRANCISCO XAV. REUSS (1)

CXL. — LEAENA ET URSA.

Perdiderat prolem coniux augusta leonis;
Venator catulum straverat arcipotens.
Horrisonis orbata parens ululatibus implet
Silvas, unde silens aura soporque fugit.
Conturbata diu clamoris questibus ursa,
Antra dolentis adit matris, et: - « Hisce, soror;
Hisce, soror, lacrimis - inquit - finemque modumque
Pone, nec insomnes vivere coge feras.
Tritis dente tuo pullis hucusque ferinis
Nonne superstes erat mater, itemque pater?
Nec tamen ulla parens, dum luget funera, somnos
Turbavit nostros: ut siluere, sile ».
- « Mene silere iubes matrem, sua gaudia flentem;
Orbam quam nato moesta senecta manet? »
- « Te lex, te cogit vis nulla senescere fendo ».
- « Sors heu! me cogit, sors inimica mihi ».
Ad vos, o queruli mortales, fabula spectat,
De vestra solitos sorte dolere mala.
Aspera qui pateris, mortalis, suspice caelum;
Iobi solentur te graviora mala (2).

CXLI. — LEO, SIMIUS ET DUO ASINI.

Ut sua rite leo, rex Afer, regna teneret,
Quid sit fas voluit discere, quidve nefas.
Doctor apud pecudes erat aequi tunc et honesti
Simius; hic docuit talia discipulum:
- « Est vitiosus amor (solet ille philautia dici)
Quo sua sectari commoda quisque parat.
Insidet hoc vitium cunctis animantibus, hocque
Fonte venenato proficit omne malum.
Dignus eris, rex, imperio, si commoda regni
Posthabita quaeras utilitate tuā.
Nec tamen id credas opus unius esse diei;
Vix longus satis est assiduusque labor.
Cui si des operam, nil lingua malignior in te
Arguet iniusti, ridiculique nihil ».
Tum rex: - « Prode mihi, per quae quis nequiter acta
Iniustus fieri ridiculusve queat ».
Doctor ad haec: - « De ridiculis exordior. Omnis
Huic vitio quadrupes (gens quoque nostra) patet.
Horum quisque suum morem miratur, et usus,
Quos malunt alii, spernit ut illepidos.
Laudat item sibi consimiles; exinde redundat
In laudatorem sponte tributus honor.
Coniicis hinc, qua saepe viā sibi carpere famam
Possit vulgarem crassior ipsa pecus.
Dicam visa mihi. Binos ego forte sequebar
Auritos asinos, rusticatae pares.
Alter in alterius caput, ut palponibus est mos,
Laudes iactabat prodigus immeritas.
- « Inlyte frater - ait prior - annon prorsus hebescit
Humanus, qui se tollit ad astra, bipes?
Scilicet ille sapit, sapit unus; plumbea vero
Cui mens, hic asinus dicitur atque rudens!
Rudere (3) nos aiunt, non dicere; nomen aselli,
Tot claram titulis, stipitis instar habent.
O tumidos homines, qui se vocitare disertos
Audent, quos tamen ars ora tenere iubet!

(1) Cfr. num. sup.

(2) In hoc ultimo disticho, sententiam Fontanii, quae paganum redolat, christianam feci.

(3) Huius verbi prima syllaba brevis aut longa est ad libitum. Ovidius eam corripit; producit vero Persius.

Te decet effari, te scandere pulpita, frater;
Te vocem cantu tollere mellifluam ».
Laudibus affrictus, fricat aequa laude sodalem,
Quem celebrare satis carmina nulla queant.
Sic alterna crepant praeconia mille per urbes,
Naribus et cupidis mutua thura bibunt.
Hos asinos, o rex, imitatur non pecus una,
Cui locus editior nobiliusque genus.
Hi (quod in aure tibi dico) vel regia vellet,
Si fieri posset, scanna patere sibi.
At satis haec exempla docent, suevisse philautas
Passim se pecudes prodere ridiculas.
Iniustas fieri, cras dicam; longior (ampla
Cum sit materies) haec acrossis erit ».
Simius hic tacuit. Vereor, ne pars sit omissa
Altera, quae iuris tangeret officia.
Pellis amans et cautus erat praceptor; eratque
Regius auditor bellua fauce potens.

CXLII. — VILlicUS, CANIS ET VULPES.

Est lupus et vulpes incommodus hospes uterque;
Neutrū palari per mea rura velim.
Vulpes antra sibi prope villam struxerat, unde
Tendere gallinis cooperat insidias;
Arte tamen vanā: nam quae iubet ardua furtū
Exercere famēs, cura metusque fugit.
Frendet ad haec ieiuna pecus, quae: - « Siccine ludor!
Siccine ludor - ait - ludere docta vafros!
Hanc obiens chortem discurre nocte dieque,
Somni oblita, pedum dum mīhi planta dolet.
Villicus interea piger omnes vertit in aurum
Capones, nisi quos dentibus ipse premat.
Vix mīhi perrarus, macie confectus et aeo,
Obtingit gallus, callida quidquid ago.
Vulpinum mīhi cur cerebrum? Sed dedecus a me
Hoc abigam: testis luna bicornis erit».«
Sic meditans, vulpes sibi forte papavere multo
Foeundam noctem somniferamque legit.
Omnia somnus habet: famulos, dominumque, canemque,
Cristatos gallos, oviparumque gregem.
Clauserat imprudens male limina gallinari
Villicus; idque cito detegit hostis ovans.
Qui ruit in median, mox plenam caedibus, arcem,
Nullus ubi tubicen, mane micante, canit.
Sol oriens ubi vix tot strata cadavera spectat,
Horret, et ora dolens nube migrante tegit.
Talis in Atridam Danaosque iratus Apollo
Irrumpit noctu, funera mille serens.
Talis Ulysseos Ajax postesque gregesque
Diripit, ulturus praemia rapta sibi.
Ajax interea vulpinus parta trophaea,
Quotquot ferre potest, ad sua lustra rapit.
Stragis ut immensa fit testis villicus, iram
In famulos properat fundere spumiferam,
Inque canem, stygiis quem flammis sacrat et undis,
Quippe fidem sancti fregerit officii.
- « At tu - sic latrans - poteras, here, cautior esse,
Et stabuli tutā claudere clave fores.
Quod si nil tetigit te rerum cura tuarum,
Somnos cur turbet res aliena meos? »
Vera canis dixit, sed non quae lingua canina
Diceret: id miserum dura flagella docent,
Si tibi forte (nec invideo) domus ulla regatur,
Inspice res oculis, lector amice, tuis.
Primus surge, cuba postremus; neve ministro
Res committe graves, sed vigil ipse geras.

CXLIII. — ARANEA ET HIRUNDO.

- « Iupiter, e cuius cerebro fuit edita partu
Insolito Pallas (1), nata nocere mihi!
Audi me querulam, cui Progne (2), dum secat auras,
Dum cita radit aquas, pabula quaeque rapit.
Muscas dira meas avis aufert; iure measque
Appello, visas linem obire meum.
Retia firma satis protendi, plurima quae mox
Praeda subiret, atrox ni prohiberet avis. »
Tales in caelum iactabat aranea questus,
Quae Phrygiā quondam pingere norat acu,
Nunc tamen impuris vestit laquearia textis,
Queis muscaria gens capta, repente perit.
Invitā sed araneolā, praedatur hirundo
Muscas omne genus, fercula grata sibi;
Fercula grata suae proli, quae, lassula nunquam,
Pipilat, et rostro poscit hiante dapes.
Luctantem volucris foede mutilarat arachnem;
Vix caput huic superest, et sine ventre pedes.
Textile mox opus omne rapax avellit hirundo,
Cetera textricis pendula membra vorat.
Mensas rex Superū geminas instruxit: opimae
Assidet aere potens quisque, vel ingenio.
Altera mensa patet tenui iejuna popello;
Raras reliquias ista prioris habet.

CXLIV. — SENEX ET TRES IUVENES.

Cano crine senex, octona decennia natus,
Sevit forte nubes. Quod senioris opus
Tres rident iuvenes, hac voce: - « Sit ille fabarum
Consitor, at fructum ne serat arboreum.
Num tu - sic pergunt - vives in Nestoris aevum,
Primas ut spores carpere posse nubes?
Vitiae serus adest tibi vesper; vespere gaude;
Nec te, cras funus, crastina cura premat.
Defle praeteritos errores; spesque futuras
Abiice; nos iuvenes spesque salusque decet».«
- « Nec vos certa manet - sic alter -. Vita caduca,
Orta semel, crescit lenta peritque cito.
Mortis ludibrium sumus heu! iuvenesque senesque;
Mixtim demetimur, flava virensque seges.
Orto sole vales; num decadente valebis?
Ah! quoties proavus vivit, obitque nepos?
Nil igitur prohibet, quin hasce nepotibus umbras
Et fructus donem, dum mea membra vigent.
Quaeque dedit gratum mihi lux hodierna labore,
Crastina fors referet posteriorque dies.
Atque utinam tristi non cogar sorte cupressos,
Vestros in tumulos, figere funereas!»
Dixit vera senex. Indorum vectus ad oras,
De tribus alter aquis mergitur Oceani.
Alter pro patria dum certat et ambit honores,
Ictus nitrata glande, repente cadit.
Tertius occumbit sublimi ea arbore lapsus,
Quum, nil tale pavens, aurea poma legit.
Fletque senex iuvenes, et in atro marmore caelat
Quae modo sunt elegis his memorata meis.

(1) Pallas, seu Minerva, obfuscata a poetis ethnicis imago est divini Verbi sive increatae Sapientiae.

(2) Prognem, Pandionis filiam, tradit Fabula in hirundinem fuisse conversam. — Arachne vero, Idmonis filia, acu pingendi peritissima, quae ipsam Minervam provocare ausa fuerat, ab irata diva, si Fabulae credas, in araneam mutata est.



EX ITALIS URBIBUS

Augustae Taurinorum sollemnia.

Quo die in toto terrarum orbe maxima de votione Mariae Mater colitur inter sidera recepta, Augustae Taurinorum, laeta, alacris: *Io triumpha!* undique resonabat. In hanc enim urbem, ex omnibus fere partibus Italiae hospites convenient, ut annus quinquagesimus maiore cultu memoretur ex quo Subalpini milites, foedere coniuneti cum Anglis et Gallis Turcisque, ad Chersonesum Tauricam fortiter dimicarunt. Hoc atrox bellum iam per bienium flagrabat, et sors adhuc anceps erat, neque immanis Russorum potentia tot hostibus cincta nec dum divelli, sed nec paullisper labefactari videbatur.

Foederati primum ad se advocare putarunt Ferdinandum Borbonum, qui adhuc ea aetate opibus pollens, manu consilioque Neapolitanis imperitaret. Hic, amicitiam in primis cum Russis antiquam praetexens, quum suis civibus diceret, se velle hoc belli infortunium pro viribus prohibere, oblatam ultro societatem amice renuit. Tunc ad Subalpinos se converterunt.

Erat illis temporibus regni Subalpinorum administer Camillus Benzius Caburi Comes, qui, nomine, aerarii praefectus erat; re autem vera, ingenio, auctoritate, audentia, omnium rerum unus summusque moderator adparebat.

Hic, arrepta occasione, magna pro suis bona in futurum portendens, hanc confoederatorum conventionem Victorio Emm. II. regi facile persuasit. Pauci omnino vel inter populares oratores rem dubiam adprobabant, et populus, etiamsi *acrimilia robustus*, invitus omnino ad arma illa convolavit. Subalpinorum cohortis dux fuit ac rector supremus Alfonsus Lamarmora, qui iam antea maxima rerum et hominum prudentia elucens, audacia in periculis capessendis, consilio vel inter ipsa pericula, armis inclarerat.

Quindecim circiter menses illic nostri, inter mille labores, adversa, vel probra, indica lue socios circumvastante, fortiter et strenue meruerunt; et tandem ad Cernaiam flumen praecaram de hostibus victoriam reportarunt. Quo facto Subalpinorum militum nomen instauratur, et cladibus ante paucos annos apud Novariam acceptis, vi et ingenio tandem reficitur.

Haud desunt qui dicant, Napoleonem, Gallorum imperatorem, qui tunc omnes auctoritates in Europa componeret, occulto sacramento initiatu, insidias ceteris Italiae regibus ita struxisse, quod superba eius imperia aspernarentur; eorumque iura et veterem compagmen relaxasse.

Ex tot militum millibus, tamquam illius fortissimi exercitus nec spennenda reliquiae, octocentum circiter viri superstites in Aug. Taurin.

urbe versabantur; illius temporis veste induiti, alii alia legione, sed adhuc viridi senecta vi- gentes, hand annorum pondere pressi, firmiori gradu, alacriores incedebant.

Sed inter tot turbarum clamores populique triumphos, dum se se erigere, ut olim iuventute florentes incedere student, aetatis hominum infirmitatem accusant ac confitentur. Huc, honoris gratia ac paterna gloriae aemuli senatus, oratores populares, atque ipse Rex cum magno urbis adparatu convenerant.

Haud erit sane tacendum, quod e contra ab omnibus in primis maxime laudatur, sub divo, adstante Rege et veteranis, sacrum esse factum

strenuas virtutes, in complures eruditiorum coetus per Europam ultro est adlectus, dignusque habitus qui in patria, labentibus annis, Collegii « Scientiarum » finibus proferendis praeses adscisceretur.

Novis libertatis temporibus, cuius auctor fuit inter paucos, est orator popularis electus, et primus, cum Caesare Balbo Comite praeside, est in consilium advocatus principi exorando et causis rerum iudicatarum dirimendis.

A Carolo Alberto rege, honoris causa, inter Senatores Regni adlectus est; qui certus patriae servire, non sibi, laetioris fortunae illecebras officio posthabuit; et qualem praestare se instituerat, talem usque ad exitum servavit. In omnibus rebus singulari fuit prudentia, laboris adeo patiens, ut diem saepe noctemque rebus gerendis continuaret. Ipse Taurinensis consiliarius, ipse senator, et administer, ipse denique omnibus publicis munib; naviter inserviit, magnis rebus saepe interfuit, et se parem usque temporibus praestit.

Quum Carolus Albertus rex, insurgentibus populis Insubriae ac Venetiarum, esset arma capturus in Austriacos, altissimis verbis se opem suorum militum allaturum esse pollicetur. Sollemnia illa verba, quibus tunc Italiae populi in spem sunt eructi, ipse composuit, in uno stans pede, in Aula, suasore Carolo Alberto, dum aulici confabulantur, et ad numeros tibicinis saltant!

Quam vere hic aptatur illud Vergili:

Pars pedibus plaudunt choreas, et carmina dicunt!

Quum Anglia et Americani foederati Meridionales iam iam manus consererent ob auxilium ultro hostibus permisum, in bello inter duos populos nuper legibus animisque coniunctos, et in primis ob navim captam, cui nomen erat *Alabama*, tunc placuit rem omnem componi a tribus iudicibus sibi electis. Fridericus Sclopis, nomine Regis Victorii Emm. II. praefuit magno trium virorum concilio, quod Genevae in Helvetia coactum fuit.

Hoc munus haud gravatim suscepit, et iustitia, aequitate, sapientia, plaudentibus omnium ordinum civibus litem sancte direxit, et iam inter horrentes armorum strepitum, pacem mortalibus suadendo, in omnem late orbem terrarum Italici iuris fortitudinem renovavit.

Omnes populi eum in patriam redeuntem ovantes receperunt, quod iustitia atrocia bella deprecatus esset, et Rex Italiae eum equitem decoravit Ordinis Supremi Virginis ab Angelo salutatae. Amicorum commodis inserviens, a populari iactatione remotus, omnium sibi benevolentiam et admirationem conciliavit.

Repentino morbo correptus, extinctus est in uxoris complexu, cum qua coniunctissime viixerat, postquam sanctissimis religionibus rite esset perfunctus.



Pueri ludentes.

(Tabulam PETRI VAN SLINGELAND photographice expresserunt FR. ALINARI, Florentiae).

ad pedes monumenti honori erecti militum, qui illis rebus interfuerint, et in ipso altari, sub quo sacerdos olim illis prefecturis benedixerat et sacram Deo hostiam pro victoria obtulerat.



Paullo post in publico viridario, quod ad septem triones spectat, haud procul a dirnta prope urbis Taurinorum arce, statua aerea posita est memoriae et honori Friderici Sclopis a Salerano Comitis, Taurinensis, immenso ciuim advenarumque concursu.

Hic, qui civitatem suam unice deamabat, viginti vix annos natus in studio iuris strenue est versatus, atque inter doctores decuriales in Taurinensi Archigymnasio cooptatus, mature inter aequales ita coepit exsplendescere, ut hoc nomine illustres sibi amicitias domi forisque conciliaret. Mox ob ingenii et doctrinae praestantiam ad publica munera gradatim est promotus, et ob egregia opera subito edita et ob

Etiam si pro viribus optime de religione ac de patria meritus est, tamen, obiturus, cum ei sanctum Christi corpus in Viaticum est allatum, dixit: « Religionem colui et amavi, eiusque iura fassus sum et adserui; verum si quid minus recti dixi vel in vulgus edidi, animo dolens revoco atque detestor ».

Aevi prioris exemplar, vegeta adhuc senectute, sancte quievit. Natus Augustae Taurinorum an. M DCC XCV, obiit omnibus flebilis pr. Non. Mart. an. M DCCC LXXVIII.

SUBALPINUS.



VITAE FASES.

TABULAE, quas lectorum oculis hodie subiicimus, diversarum aetatum scenam aliquam quodammodo repreäsentant, primae aetatis alteram, alteram ingraescentis. Ut enim puerorum negotia in ludis maxime versantur, en Petrus Van Slingeland pictor binos eorum facie bonaque valetudine insignes praebet, qui trochum globulosque pro tempore negligentes, toti in eo sunt ut ex caustica spuma bullas detrahant in aërem volantes. Quae oris gravitas in eo qui, cannula, saponatum excitat; quae hilaritas in femella, levium globulorum cursum digito monstrante! Laetamini quidem, pueri; vitae enim deliciae bullarum earum ad instar brevi evanescunt!

In humilem aediculam, prope fenestram, ad quam, ut solis radii occidentes calorem remisso in venis sanguini infundant, senes coniuges accessisse videntur, nos trahit Franciscus Van Mieris, eosque frugali mensae discumbentes ex moeniano exhibet, cui hinc rubri garyophili vas, hinc raphanorum caeparumque fasciculum incumbunt. Vir panis quadram est praecisurus, dum scrutantibus oculis mulierem placide at aegre bibentem intuetur. Super manteli, saliti piscis frustula sunt, cerevisiaeque mistarius; haec tamen negligere vir appetit ad vitam uxoris paullatim intereuntem prorsus intentus; eius scilicet, quae diurni laboris sui sociam fidelique comitem indesinenter habuit.

Tabula haec profecto cogitationes suscitat, neque eas suaves...

EPISTOLARUM DIRIBITORIA APUD VETERES.

REM PUBLICAM nec florere posse nec coalescere quisquis videt, nisi commercia epistolarum inter cives legibus certis atque certis accessis constituta sint. Itaque iam apud veteres huiusmodi necessitatibus, privata vel publica ope, subvenere magistratus, qui sive regiae auctoritati sive civium commodo suppeditarent. Eam ob rem Assuerus rex narratur, quum decretum contra Israelitas editum revocasset, diribitores

plurimos omnes per provincias equis, camelis, mulis ad satrapes misse, qui de venia a se concessa litteras afferrent.

Verumtamen equestres nuncii regiis tantum commodis apud Persas serviebant, quumque tradenda essent minoris ponderis edicta, turres erant per vias certis intervallis positae, quorum ex culminibus nuncii advigilantes novos eventus die nocteque ex uno ad alterum communicabant, eoque ritu ab urbe capite ad ultima imperii limina res innotescerent.

Similes turres Pizzarus, Iberus ille dux, Peruviano in imperio vidit. At in stationibus singulis velocissimi nuncii erant, qui ab una ad

Graecis longe minus commoda res fuit. Troiam captam incensi ignes per summa montium iuga Lacedaemoniis nuntiarunt, atque ex iis ad reliquias provincias lata res est. Marathonica victoria ab equite celeberrimo nuntiata est, qui integrum per diem ex equo in equum consiliens Athenas cucurrit, at labore cursus vicius ante magistratus, dum victoriam profert, animam efflavit. Cognitis modo Persarum moribus, nunciorum stationes a Graecis quoque fuisse constitutas ex Aeschylo atque Sophocle, ex Plutarcho et Platone arguitur. Non alias enim Graeciam omnem suis insidiis et fallaciis Philippus, Macedonum rex, illaqueasset, neque magistratum mentes cognovisset populorumque captasset favorem. Alexandro Magno magis magisque fuit curanda res, dum consilium agitat Graeco imperio Asiam omnem subiicere, et ad Indos usque leges et artes Graecorum diffundere et communicare: non enim aliter ex dissitis omnino regni locis eventus et mutationes quae accidere poterant valuerint cognoscere.

Nihilominus parum certa res et nullis adiunctis illustrata nobis ex scriptoribus illucescit, nec melius scimus utrum epistolae illae, quae ad nos usque pervenire, familiares, revera epistolae, an potius scholasticae dissertationes fuerint; planum est enim quo studio Graeci epistolarem stilum coluerint.

At si de Romano imperio sermo est, omnia contra in aperto sunt. Nam qua ex die aquilae legionum, vias Latii et fines Italiae excedentes, ad propinqua regna procedunt, militares viae deducuntur insignes: Appia Capuam atque Brundusium usque, Flaminia Ariminum et Aquileiam. Stationes itaque certo intervallo ponuntur, constituantur equitibus refugia, equis stabula, horrea commeatibus. Maiores stationes quadragesinta equos habent, minores viginti; mansiones et hospitia non desunt ad instaurandas currentium

vires. Currus omne genus adest: vehes, curriculi, plausta, quadrigae, bigae; varii aurigae, ephippiorum fabri, loristae, equorum medici. *Cursus publicus* res omnis vocatur, eumque curant consules duo totidemque curules aediles. Huic vero adest proximus *cursus privatus*, quo privati cives utuntur.

Ceterum non tantum negotia et affectus et variae cognationes, sed etiam Graecorum studia usum scribendi epistolas fecerunt apud Romanos consuetum: quamquam et necessitas communicandi cum Italibus et Siculis et Sardis frequentiore in dies morem fecit. At non Lacedaemonico more Romani laconica illa epigrammata mittebant papyro conscripta et baculo obvoluta, verum Attica potius consuetudine epistolas scripserunt satis longas in ceratis tabellis stilo sculptas et saceulis oclusas, quos sigillo muniebant. Quum vero missivam legisset amicus, suo stilo ceram aequabat atque rursus remittebat eadem tabella responsum.



Senes ad mensam.


(Tabulam FRANCISCI VAN MIERIS photographice expresserunt FR. ALINARI, Florentiae).

aliam procurrentes, nuncium epistolarem de manu ad manum transmittebant usque ad metam. Mexicano in imperio similis vigebat mos, nuncioque illi legibus sanctissimis defendebantur. Inter stationes novem millia passuum spatio aberant; nuncius tamen non scripta epistola, sed voce transmittebat imperium. Nuncii autem prima ab infantia assueverant quam cito currere, atque profecto Olympicas palmas in Graecia facile accepissent.

In Persia primus Cyrus fuit, qui equos ad rem adhibuit. Constitutis igitur stationibus atque positis equis et equitibus, regia decreta die nocteque maxima velocitate expediebantur; qua quidem arte optime nota erant quae in extremis provinciis fierent. Verumtamen horum cursorum parum areta servabantur secreta: itaque memoriae proditum est, quum quidam vellet regem rem quandam certo scire, leporem scidisse eiusque in ventrem immissam epistolam ad eum misse.

At paullatim tabellis papyri charta suffecta est, vel pergamena, quam conscriptam obvolvebant et sigillis occludebant ut nemo eam legeret; imperatorum epistolae bina sigilla ferabant et, quum victoriam nunciarent, laureas coronas portabant.

Saepe ad dissitas usque oras Romani epistolas mittebant suas, tradebantque servo, quem tabellarium vocabant, qui aut pedetentim, aut equo ibat iuxta tempus et locorum distantiam. Cursum publicum summa cura instruxit et munivit Augustus, ita ut Tiberius, filius eius adoptivus, quum rescivisset Drusum in Germania aegrotare, a Gallorum finibus vix una die ad lectum fratris eucurrit. Nec alias profecto tanti imperii moles, maiestas, splendor, divitiae, nisi lege illa et arte servata et aucta fuissent.



DE SACRA CONGREGATIONE
CONCILII TRIDENTINI DECRETIS INTERPRETANDIS
PRAEPOSITA.

SACRARUM Congregationum Romanarum notitiam in *Voce Urbis* persequentes, de illa hodie sermonem habebimus, cuius ipse titulus quanti momenti sit clare demonstrat, atque fundamentum ab ipso Tridentino concilio positum est decernente (1): « Quod si in recipiendis (decretis) aliqua difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quae declarationem, quod non credit, aut definitionem postulent, praeter alia remedia in hoc Concilio instituta, confidit S. Synodus Beatissimum Romanum pontificem curatur ut vel evocatis ex illis praezerosum princiis, unde difficultas orta fuerit, iis quos eidem negotio tractando viderit expedire vel etiam Concilii generalis celebratione, si necessarium iudicaverit, vel commodiore quacumque ratione ei visum fuerit, provinciarum necessitatibus pro Dei gloria et Ecclesiae commoditate consultatur ». Pius itaque PP. IV, Synodus Tridentinam constitutione *Benedictus Deus* an. MDLXIII approbans, constituit neminem sive ecclesiasticum sive laicum doctorem sua auctoritate posse in Tridentinum Concilium commentarios exarare, explicite Apostolicae Sedi reservans ut haec difficultates et dubia dissolveret ex iisdem decretis oritura. Quin etiam in sequenti anno Motu proprio *Alias nos* octo Cardinales deputavit (2), qui Tridentinorum decretorum exequutionem curarent, ita tamen ut si « aliqua dubietas vel difficultas interpretationis emerget, ad Papam referrent ». Quia autem nonnullam Tridentina statuta impiedebantur quominus exequioni mandarentur ex eo quod in dubium revocaretur utrum in lege generali peculiaris casus comprehendenderetur, atque ita Congregatio, - cui tantummodo potestas erat exequativa, prout dicunt, extra judicialis, seu vigilantiae - impar suo muneri videretur, Pius PP. V ampliores ei tribuit facultates, quas Xystus V in Const. *Immensa* his verbis definivit: « Eorum quidem decretorum, quae ad fidei dogmata pertinent, interpretationem Nobis ipsis

reservamus; Cardinalibus vero praefectis interpretationi et exequutioni Concilii Tridentini, si quando in his quae de morum reformatione, disciplina et moderatione et Ecclesiasticis iudiciis aliisque huiusmodi statuta sunt, dubietas aut difficultas emerget, interpretandi facultatem, Nobis tamen consultis, impertimur ». Ad didit insuper facultates circa concilia provincialia et dioecesana, visitationes ss. Liminum, morumque reformationem.

Benedictus XIV, quum ipse, qui iam a Secretis huins Congregationis fuerat, expertus esset eamdem Congregationem ob nimia negotia mature respondere non posse omnibus consultationibus ac dubiis ab Episcopis occasione visitationis ss. Liminum propositis, in const. *Decet Romanum Pontificem* an. M DCC XL peculialem Congregationem Prelatorum Curiae Romanae S. Congregationi Concilii adiunxit, quae praefatas Episcoporum relationes expanderet promotasque ab iis quaestiones enodaret. Denique Pius IX an. M DCCC XLIX specialem instituit Purpuratorum Patrum Congregationem, quae veluti appendix Congregationis Concilii, - quam cum communem habet Praefectum et Secretarium, quum contra proprii ei sint consultores ex clero tum saeculari tum regulari electi - Provincialia Concilia recognoscet. Affinis Congregationis Concilii et etiam Congregatio super residentia Episcoporum ab Urbano VIII an. M DCXXXIV instituta ut invigilaret in observantiam legis residentiae tantopere a Tridentino Concilio Episcopis praescriptae. Huic a Secretis est ille urbanus antistes, qui hoc munere fungitur apud Congregationem Concilii; Praefectus vero est Cardinalis Urbis Vicarius.

Alia quoque Congregatio Congregationi Concilii interim addita est a Leone XIII, Saera scilicet Congregatio Immunitatis Ecclesiasticae, cuius quidem privilegia nostris temporibus ob civiles leges fere ubique gentium exequutioni mandari nequeunt. Itaque a Praefecto et Secretario S. Cong. Concilii ea per pauca huiusmodi negotia expediuntur, quae possibilia adhuc evadant.

Ex iis quae diximus clare patet quodnam sit « in genere » Congregationis Concilii munus; « privative » nempe ei competit interpretatio authentica legum Concilii Tridentini, et privative non tantum circa alias Congregationes, sed etiam circa Episcopos, Iudices ordinarios. Restat ut aliquid de « specialibus competentiis » dicamus; idque verbis faciemus cl. viri Michaelis Lega, ad cuius opus *De iudiciis ecclesiasticis* delegamus qui plura de re scire cupiat. Ipse igitur monet hanc Sacram Congregationem « in specie »:

1) curare ut beneficiati legi residentiae congrue satisfaciant; at concedere, ex iusta causa, licentiam absentiae, indulgendo absentibus perceptionem fructuum prebendae. Concedere etiam facultatem reducendi onera antiqua Missarum ob redditum imminutionem. Praeterea

2) cognoscere causas matrimoniales tum quoad vinculi valorem, tum quoad dispensationem a Summo Pontifice impetrandam a vinculo matrimonii rati et non consummati. Ex Const. *Iustitiae et pacis*, (9 Oct. 1746) Benedicti XIV ad Congregationem Concilii vel ad Rotae auditorium « privative » spectant causae matrimoniales ad Se-

dem Ap. delatae (1). In cit. Const. decernitur ad hanc Congregationem vel ad aliam EE. et RR. vel ad Rotam pertinere causas nullitatis professionis Regularis. Privative vero ad Congr. Concilii spectant causae nullitatis Professionis Religiosae ex capite non expleti tyrocinii in coenobio pro novitiis destinato, etiam in prima instantia, intra quinquennium propositae, iuxta Const. *Si datam § Quum Bened. XIV.* - In hisce iudiciis rigorose servantur praecriptiones Benedicti XIV in sua Const. *Dei miseratione*, unde inter officiales huins Congregationis recensetur *Defensor vinculi*, qui ex officio iura matrimonii tueri debet, ne temere, praeter legitimos casus, dissolvatur. - Praeterea in causis circa valorem Professionis Religiosae servatur Const. *Si datam Bened. XIV.* In causis de valore ordinis subdiaconatus haec Congregatio est privative competens et sequitur ordinem procedendi constitutum in Instructione edita an. M DCCC XXXVIII.

3) Demum haec Congregatio iudicat de causis beneficialibus, de censuris et poenis Ordinariis inflictis et de irregularitatibus et aliis similibus impedimentis ad ordines vel ad beneficia omnia, definiendo, examinando et exigendo ad normas Concilii Tridentini. Quare hodie competentia criminalis S. Congregationis EE. et RR. non est « privativa », saltem quoad « negotia iudicialiter expedienda ».

EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS
SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE.

Ex Congregatione Sacrorum Rituum, Indulgientiarum et Sacrarum Belliquiarum:

In publica seu chorali recitatione Officium pro in sequenti die, nisi habeatur Indultum, incipi nequit hora secunda pomeridiana. (Ex deer. d. XII mens. Maii M DCCC V).

— Hora recitandi Matutinum annumerari potest indiscriminatim tum ex meridiano circulo locali, tum ex meridiano circulo officiali dicto *Greenwik*, qui quidem anticipat horam circuli localis per tertiam horae partem plus minusve. (Ibid.).

— Festum Purificationis B. M. V. cum Dominica Septuagesimae occurrente transferri debet in diem IV mens. Februarii quando feria II, seu die III Februarii, occurrit festum Patroni vel Titularis, seu duplex primae classis. (Ex deer. d. XIX mens. Maii M DCCC V).

— Quando festum Ssni Cordis Iesu die XXIX mens. Iunii occurrit, in diem XXX transferetur tamquam in sedem propriam. In ecclesia vero propria S. Pauli, cuius festum est primae classis et primarium, transferetur in Dominicam sequentem, translato festo Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. in feriam III sequentem. (Ibid.).

— Festo Patroni vel Tituli ecclesiae occurrente cum Dominica in Albis vel Trinitatis non potest cantari Missa Patroni vel Tituli. (Cfr. Rubricae reformatae Missalis Romani, tit. VI, *De translatione festorum* et decreta n. 3754, *Declarationis Indulti pro solemnitate festorum transferenda sub die II mens. Decembr. an. M DCCC XCI, ad III;* et n. 3924 *Strigoniensis*, sub die III mens Iulii an. M DCCC XCVI, ad V). (Ibid.).

De loco, in quo S. Francisci Assiensis praecordia custodiuntur.

— Quaestioni olim agitatae, postea sopitae, nuperque iterum excitatae super praecordiis S. Francisci Assiensis, quae Assisii in ecclesia S. Mariae

(1) At nonnullae causae, in quibus expedit procedere « sub secreto », a S. Pontifice « committuntur », Congregationi S. Officii.

(1) In Sess. XXV, *De recipiendis et observandis decretis Concilii.*

(2) An. M DLXV ipse Pontifex quatuor alios addidit; nunc autem quatuor et triginta numerantur.

ab Angelis nuncupatae, religiose custodiri alii affirmant, allata etiam vetusta Ordinis Minorum tradizione, et alii negant vel in dubium revocant, Sacra Rituum Congregatio in peculiaribus Comitiis ad Vaticanum habitis die XVI elapsi mens. Maii, proponente Emo et Rmo Dño Cardinali Francisco Segna, Causae Relatore, omnibus ex utraque parte ad rem deductis argumentis atque documentis, discussis accurateque perpensis, atque auditio R. P. D. Alejandro Verde S. Fidei Promotore, ita respondere censuit: « Imposito partibus de hac re contendentibus et disputantibus magno silentio, quaestio praecipua resolutio differatur, manente interim in sua possessione enunciata traditione. Si quid autem novi pro una vel altera sententia in casu reperiatur, Sacr. Rit. Congr. examini et iudicio erit subiiciendum; nihilque edendum nisi de ipsius sacri Consilii expressa atque scripta licentia ». (SS. D. N. has resolutiones ratas habuit, probavit atque servari mandavit d. XXVI mens. Maii M DCCCC V).

— Christifidelibus, qui singulis primis sabbatis, vel etiam dominicis, haud interruptis, infra spatum duodecim mensium sacramentali poenitentia rite expiati sacrae mensa refecti, sive precibus, sive quoque meditationibus ad honorem Virginis absque originali macula conceptae aliquandiu vacaverint, simulque ad mentem Summi Pontificis oraverint, plenaria indulgentia, defunctis quoque applicabilis, memoratis sabbatis vel dominicis lueranda in perpetuam trahitur. (Ex decr. d. I mens. Iulii M DCCCC V).

Ex Commissione Biblica:

Quum ad normam directivam habendam pro studiis Sacrae Scripturae proposita fuerit Commissione Pontificiae de re biblica sequens quaestio, videlicet « utrum ad enodandas difficultates quae occurruunt in nonnullis S. Scripturae textibus, qui facta historica referre videntur, liceat Exegetae catholico asserere agi in his de citatione tacita vel implicita documenti ab auctore non inspirato conscripti, cuius adserta omnia auctor inspiratus minime adprobare aut sua facere intendit, quaeque ideo ab errore immunita haberri non possunt », predicta Commissione respondendum censuit « negative, excepto casu in quo, salvis sensu ac iudicio Ecclesiae, solidis argumentis probetur: 1º Hagiographum alterius dicta vel documenta revera citare; et 2º Eadem nec probare, nec sua facere, ita ut iure censeatur non proprio nomine loqui ». (SS. D. N. predictum responsum adprobavit atque publici iuris fieri mandavit d. XIII mens. Februarii M DCCCC V).

ACTA PONTIFICIA

I.

DECRETUM,

seu instructiones, circa editionem et approbationem librorum cantum liturgicum gregoriana continentium, per SS. RR. Congr. vulgatum.

Quum Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa X suis litteris Motu Proprio datis sub die XXV Aprilis anni MCMIV disposuerit, ut editores cantum gregorianum a Se restitutum typis mandare possint iuxta Vaticanam editionem, opportunum huic Sacrae Rituum Congregationi visum est nonnullas instructiones seu leges evulgare a predictis editoribus observandas, quandocumque novam aliquam impressionem cantus liturgici parare voluerint. Hae autem leges, in audiencia diei VII vertentis mensis Augusti ab eodem SS. mo Domino Nostro admissae et approbatae, sunt quae sequuntur:

I. Editores seu typographi cuiuscumque loci vel regionis, qui gregorianas melodias in Va-

ticana editione contentas imprimere voluerint, sive aequali forma sive grandiori vel minori, sive omnes, sive aliquas tantum, ab eadem Sede Apostolica prius facultatem obtinere curabunt.

II. Ab unoquoque ex editoribus, qui huiusmodi pontificiam facultatem obtinuerint, haec erunt diligissime attendenda:

a) Forma notularum aliorumque gregoriani cantus signorum ea debet servari quam maiores instituerunt et editio Vaticana adamussim exhibet.

b) Nihil praesertim mutari potest in ordine quo eaedem notulae pro variis sonorum intervallis sibi succedunt.

c) Neque pariter in modo quo ipsae notulae pro diversis neumarum, ut aiunt, formulis copulantur.

d) Absolutissima quoque verborum saecularis textus relatio ad notulas cantus observetur, ita ut unaquaeque syllaba notulae vel notulis suis penitus subiaceat.

III. Editione parata ac confecta, nefas erit ipsam evulgare et in sacris functionibus adhibere cuique, nisi eam Ordinarius loci declaratione munierit, qua de eius concordantia constet cum editione typica Vaticana.

IV. Ordinarius vero declarationem huiusmodi non concedat, nisi prius censores in cantu gregoriano periti, collatione facta diligentissime, in scriptis, onerata conscientia, testentur novam editionem cum Vaticana omnino concordare.

V. Illis officiis liturgici partibus quae cantus diversos pro diversitate diei vel festivitatis admittunt, ut v. g. hymni et Ordinarium Missae, melodiae possunt adaptari, quae in editione typica non reperiantur, et a Sacra Rituum Congregatione approbari, servatis debitibus conditionibus, iis maxime quae in § d) Motus Proprii XXV Aprilis MCMIV apponuntur. Minime vero tonorum seu cantuum huiusmodi varietates admittantur in caeteris partibus, v. g. in Antiphonis et Responsoriis sive Officii sive Missae.

VI. Si autem agatur de officiis propriis aliquius Ecclesiae vel Ordinis regularis Romanum ritum sectantis, aut de Officiis noviter concessis, gregoriana eorum cantilena, a viris periti restitutae vel concinnatae item Sacrae Rituum Congregationis approbationi subiiciantur; qua obtenta, Ordinarius loci certior factus, ut supra, de concordantia cum originalibus a S. C. recognitis, declarationem requisitam concedet.

VII. Tolerari potest quod cantus gregorianus notulis musicalibus modernis edatur, dummodo periculum sedulo amoveatur, quominus ordo notularum ac neumarum quomodo cumque deturbetur. Ordinarius itaque pro hisce editionibus in commodum fideliū approbationem suam concedere poterit, si ei constiterit, iuxta art. IV et VI, de fideli conformatione cum editione typica vel melodiis approbatis.

VIII. Quandocumque liber sacrum cantum continens vel melodia quaelibet liturgica Sacrae Rituum Congregationi ad approbationem obtinendam subiiciuntur, tria exemplaria ad eamdem mittenda sunt.

IX. Melodia gregoriana ad usum liturgicum a S. R. C. secundum normas predictas destinata et commendata, ad sacrum Ecclesiae Romanae thesaurum seu patrimonium, sicut ipse textus, pertinet. Itaque quando novus textus

fidelibus ab ipsa proponitur seu conceditur, cantus textui respondens ita simul concessus reputatur, ut nullus editor vel auctor querelam de eo moveare possit, quod Apostolica Sedes easdem melodias ad alias extendat ecclesias.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die XI Augusti MCMV.

A. CARD. TRIPEPI

L. * S. S. R. C. Pro Praefectus.

D. PANICI, Archiep. Laodicen.

Secretarius.

II.

PONTIFICIAE LITTERAE

ad R. D. Ludovicum Péchenard, Proton. Apostolicum, Catholici Instituti Parisiensis Rectorem, de sacris profanisque disciplinis optime excolendis.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili, saluitem et Apostolicam Benedictionem.

Solemne illud semper Ecclesiae fuit, doctrinae studia colere tuerique diligenter, idque non modo in sacris disciplinis, quanquam in his, uti par est, maxime; verum etiam in ceteris: propterea quod istae quidem non parum ad illas afferunt adiumenti. Intimo enim quodam vinculo aptae inter se et connexae utraeque sunt: utpote a Deo, *scientiarum Domino*, profectae, a quo tanquam ab unico fonte, quae cumque vera sunt, necessitate manant. Profecto Decessores Nostri omni tempore ad Apostolici munera partes arbitrii sunt pertinere, eruditio omne genus fovere pro viribus: nec ultima laus est Pontificum Romanorum, nobiles illas aeo medio condidisse opibusque et maximis beneficiis ornasse studiorum Universitates quas, quae nunc florent, suas quasi quasdam parentes agnoscunt. Iamvero similem Nos curam de bonarum artium studiis cum geramus, equidem grata habuimus, quae de isto, cui praesides, Instituto haud ita pridem significasti coram. Sed tamen ut melius pateat quemadmodum Nos erga illud affecti simus, has ad te visum est litteras mittere. Ac primum egregia danda laus est Venerabilibus Fratribus e Gallia Episcopis, quorum et auctoritate praecipue Institutum regitur, et providentia tuitioni ipsius studiose consulitur. Tum non mediocriter ii laudandi catholici homines, quotquot id ipsum existimant dignum, cui prolixe de facultatibus suis opitulentur. Hi nimur persuasum habent, id quod res est, plurimum interesse civitatis aequae ac religionis, sic, in magnis potissimum lyceis, institui adolescentes, ut cum solidae doctrinae praceptis simul christianos hauriant spiritus; hodie autem, ut cum maxime oportere vulgo sacerdotes esse non solum a theologia bene instructos, sed etiam a philosophia, a iure, a cognitione naturae, a litteris. Usitatum quippe est ac prope quotidianum apud homines opinione potius quam re doctos, tela adversus fidem undique in officina scientiae conquirere. Novimus autem, quam libenter vix attinet dicere Instituto Parisensi, uti nunquam defuerint, ita minime in praesens desiderari decuriales doctores eiusmodi, qui et scientiae et religionis ornamento sint. Atque hi, suum ex-

equendo munus, nostris temporibus, si unquam alias, difficile et arduum, probe meminisse videtur, quid a se officium postulet; id est, ut sanctissima sapientiae veteris principia in tuto collocent; hoc primum: deinde ut, progradientis eruditionis ratione habita, quidquid veri est recentiorum sollertia repertum, minime negligent. Enimvero has migrare et non servare leges multi consueverunt, neque ex eis tantummodo qui catholicae professioni adversantur, sed quicumque praeterea traditionem magisteriumque Ecclesiae non tanti a se fieri ostendunt, quanti debent; quique illud videntur sine ulla exceptione probare velle, quod dici solet: *cras, quod hodie falsum, habebitur verum.* Hinc illa pervulgata ratio submovendi vetera, obtrudendi nova, nullam fere ob aliam causam, nisi novitatis; tamquam doctrinae summa in fastidio quodam vetustatis ponenda sit. Verum ab ista vos ratione dehortari supervacaneum est: novimus vestri in Apostolicam Sedem obsequi diligentiam; nec vero dubitari licet, quin velitis etiam in hoc genere Romano Pontifici semper probari. Quare Institutum vestrum quod laetos ad hoc tempus fructus apud vestrates pepererit, gratulamur; idem ut bona utilitatum ac nominis incrementa capiat, valde cupimus: in eam rem omnes, qui quoquo ipsum participant aut iuvant, ut, quantum quisque possit, nitantur, etiam atque etiam hortamur. Auspex interea divinae opis tibi, dilekte fili, eisque sit Apostolica benedictio, quam peculiaris quoque benevolentiae Nostrae testem peramanter vobis in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XII Februarii anno M DCCCC V, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X.

DIARIUM VATICANUM.

(Die XXI mens. Iulii — d. XXI mens. Augusti M DCCCC V).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliquos viros, qui sui cuiusque munieris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Arthurus Campuzano Marques, rerum civilium Columbianae reipublicae gestor apud Apostolicam Sedem; Wolfram De Rotenhan dynasta, Borussiae administer; Ioannes Kasprzycki, Congregationi a SSma Resurrectione praepositus cum consiliariis suis; Ioannes Iacobus Cocolo, rector collegii ad fidem Christianam inter Afros propagandam, ab Americis redux; Henricus Desqueyrous, Procurator generalis Ord. S. Dominic; manus peregrinorum ex Nordica America ab excmis viris Beniamino Iosepho Keily, episcopo Savanen., et Henrico Northrop, episcopo Caropolitan. coram adducta; r. p. Petrus a Matre Dei, Praefectus Carmelitarum ex urbe Bagdad; Ianuarius Granito Pignatelli de Belmonte, archiepiscopus Edessen., Nuntius Apostolicus Vindobonae; Marius Chisius, princeps Urbanus; Alfonso Cerrato, canonicus poenitentiarius Sarnen., SSmo offerens stipem Italorum Canonorum; Eduardus Sullivan, Americanus consul Trapezuntinus; Iulius De Wagner comes, Monachii administer apud Apostolicam Sedem; Pontificalis aulae administrari, ducesque Pontificiarum cohortium fausta omnia SSmo adprecantes ob II pontificatus annum feliciter expletum; D'Erp dynasta, Belgarum legatus apud Apostolicam Sedem; Hyacinthus M. Cormier, Magister generalis Ordinis S. Dominic; Albertus Blancas doctor, rerum civilium Argentiniae reipublicae gestor apud Apostolicam Sedem.

Pontificiae electiones.

RR. DD. Aloisius Luzzani, Aloisius Ermini, Antonius Centi, Aloisius Mischiatielli, Raphael Scapinelli de Leguigno, Aeneas Colazza, Elias Schedid, Paulus Debs inter Antistites dom. Pont. adnumerantur.

Vita functi viri clariores.

— Die XXIII mens. Iulii, Nuceriae, excmūs vir Franciscus Naro-Patrizi, marchio, S. R. E. signifer haereditarius.

Varia.

Die IX mens. Augusti in Xystino Sacello sacra sollemnia adstante Pontifice peraguntur ob II pontificatus annum ab Ipso feliciter expletum.

ANNALES.

Russorum Iaponiorumque legatorum de pace conventus.

Omnium populorum mentes postremis hisce diebus ad Portsmouth oppidi navalia, in civitate septentrionalis Americae New-Hampshire, sunt conversae, ubi De Witte, Russicae legationis princeps, et Kamura Iaponicae, de negotiis in Asia componendis, quae ad atrocissimum iamque diuturnum bellum adduxerunt, disceptant. De oblatis a Iaponiis pacis conditionibus plerisque opportunitas quaedam facta est; circa duas res tamen legati dissentunt, et pecuniam ad belli impensas resarcendas, et Sakhalin insulae a Iaponiis occupatae cessionem. Obstant Russi, a se bellum minime initum atque ita nihil esse sibi rependendum, neque tolerari posse partem ullam imperii sui iri detractum; dum Iaponii in petitionibus suis acriter insistunt. Quid inde erit futurum? Incassumne omnia cedent? Haec est vulgatior opinio, quae ex Roosevelti praesidis, conventus auctoris, agendi ratione ad veritatem propius accedere videtur; ipse enim longa cum legatis et secreta colloquia iam aliquot dies indesinenter habet.

Asiatici belti vices.

Sunt qui ab induciis interim non factis Americanum concilium inane futurum quoque deducant. Certum est Iaponios paullatim Sakhalin insulam omnem in suam ditionem redegissem; loca sibi idonea in orientali Siberia et prope Possjet litus cepisse, quo facilius Vladivostockium urbem obsidione brevi eingant. Quod si in Mandchouria ob pluviarum tempestatem belli vices immotae manserint, absonum a re minime videtur ad caedes novas hinc inde exercitus parari.

Hora postrema.

Verum, dum hic *Vocis Urbis* numerus praelo committitur, auspicatissimus nuntius affertur, Iaponiis a petitione pecuniariae pensionis ultro recentibus, Russisque Sakhalin insulae inferiore partem illis tribuentibus, pacem esse pactam. *Io* igitur dicere tandem licet!

Russorum civiles res.

Die huius mensis Augusti XVIII Russici Caesaris decreto lex lata est, qua *Gossudarst Wennaia Duma* instituebatur, coetus scilicet a civitate eligendus, qui cum reipublicae gubernatoribus leges comparet rationesque accepti et expensi recognoscet. Profecto constitutio haec ab aliarum Europae gentium constitutionibus

longe adhuc differt; at veluti primus gradus habenda est in reformationum via, quam Caesar, praeindicatas opiniones omnisque generis discrepantias vincens, tuto pede ingressus est; quamque certe persequetur, si Russicus populus promptum paratumque sese exhibuerit ad regimen civilis progressus civilis libertatis.

Regalia itinera.

Vilhelmus, Germanorum imperator, aestivas ferias amicitiis cum ceteris Europae regibus firmandis consecrat. Post Oscarium, Suetiae regem, visitatum, Finnicum tenuit sinum, ubi cum Nicolao, Russorum Caesare, colloquium habuit; quod quidem, uti facile appetat — etiam secreti causa usque ad ultimum servati, — multis variisque commentationibus fuit obnoxium. Deinde ad regalem Daniae gentem perrexit, cuius tam salutatio familiaris potius habita fuit, quum futura Danorum regina Vilhelmi nurus soror existat. Non tamen defuerunt qui relationem cum Suetica visitatione instituentes, de proximo Norvegorum rege actum a Vilhelmo autem rint; constat enim de throno alii ex Danorum principibus offerendo mentionem non semel apud Norvegos esse factam.

Non unus vero Germanorum Caesar itinera est aggressus; Eduardus enim Anglorum, Franciscum Iosephum, Austrorum imperatorem, Ischl in oppido revisit; inde fides ubique erecta, conventum hunc ad pacem non ulterius turbandum concurrisse.

Norvegorum secessio; Mauritanum discrimen.

Neque aliter inferendum est tum ex Norvegorum secessione populi scito tranquille confirmata, tum ex Mauritano discrimine; non enim populi fere omnes indicti conventus participes sese futuros declararunt, sed Hispania guberniis, quae requisituri fuerint, libere exhibuit acta Madritensis conventus de Mauritanis rebus habiti an. M DCCC LXXX.

Balkanici eventus; Cretensis seditio.

Praeter depopulationes, quibus assuevimus, nihil cruenti in Balkanica regione accedit, quod peculiari mentione dignum habeatur. Contra ab exteris gentibus legati electi sunt, qui Macedonico aerario administrando invigilant, Turcarum imperio factum adprobante; dum in regione a Nigro-Monte nuncupata Nicolaus princeps motu proprio publicum legibus ferendis coetum instituit, libertatemque quidpiam in posterum edendi subditis tribuit.

Creta in insula, rebellibus a seditionibus minime recentibus, Martia lex indicta, in eosque a cohortibus exterarum gentium tutelam insulae gerentibus felici exitu passim pugnat.

In Argentinae reipublicae praesidem facinus tentatum.

Post paucos dies ex quo, ut in superiore numero retulimus, scelesti manu Turcarum Imperatoris vita fuit petita, idem facinus in Quintana, Argentinae reipublicae praesidem, tentatum est. Eventus tamen contra nefariam sicarii spem accidit: praeses enim ex manuballistae ignitis globis incolumis prospere evasit.

PUBLICI PER ORBEM COETUS

LEGIBUS FERENDIS.

In Anglia post rationes expensarum adprobatas regia oratione coetus ad Octobrem mensem dimissus.

In Chilena republica novum administratorum concilium adlectum, cui Riesco doctor preeest.

In Hispania nova comitia indicta.

In Lusitania novus popularium coetus congregatus, qui administris faventem se pandidit.

In Suetia, administris a munere recedentibus, Lundeberg doctori commissum ut novos, se praeside, deligeret.

AESTIVA DIVERTICULA

LIPENIUS ET GENUTIUS.

LIPENIUS et Genutius puerasentes Neapolii nec patre, nec matre curantibus (fortasse e vivis excesserant, fortasse dereliquerant), inter canalicolas versabantur, quibus frequentissima populo urbs illa nimis abundat. Seminudi, errabundi, paternae domus extores, liberi monitis, legibusque soluti vias, litus obibant, frustisque esculentis vel forte repertis, vel a misericordi aliquo homine datis, famem levabant. Si quando nihil esset, quo latrante ventrem placarent, tunc vivere rapto, at non illo truculento turpique, sed rapto, sed furto quod argutum quod iucundum fecisset puerilis indoles, quae necessitate, non nequitia, in furtu agebatur.

Similes aetate sors obvios invicem fecit, communis ambobus calamitas pro amicitia fuit; hinc semper simul victum quaerere; si casu invenissent aequis dividere partibus, si rapuisent aequae partiri.

Quadam die, quum iuxta mare essent, iuvenem conspexere secreta quaerentem, ubi depositis vestibus se crederet undis, et saline balneo membra recrearet. Quum autem ille mediis esset in aquis, repens Genutius ad vestes accessit, perque peras industri manu pecuniam rapiebat. Iuvenis ille totus in voluptate balnei non respiciebat; quin etiam, vel si respexisset, latentis adverso acervulo pannorum latrunculi corpuseulum non vidisset.

At miles quidam, litoribus custodiendis adductus ne quid externum sine tributo inferretur, inter vepres haud longe abditus quasi in insidiis, repente in latrocinantem cucurrit, tenuitque valida manu reluctantem et ad auxilia clamantem. Nec mora, Lipenius accurrere, et quoniam impar erat viribus militi, saltu pileum militare praeoccupans dextera rapuit, secumque fuga tulit. Pileum recuperatus miles Genutium dimisit, Lipenium agitans, qui fuga ventos praeverteret. Sic utrique salus ac libertas illo die fuit; nam Lipenius, ut vidit Genutium per tutu iam loca fugientem, militis pileum proiecit in mare; ipse mustelae non impar devia, rupes et dumeta penetrare, recondi.

Nox erat quum uterque in locum convenere, ubi solebant noctu conquiescere tui quibusdam ruderibus vetustissimae aediculae ad Mergelinam.

Consilium iniere de fuga tentanda, quippe miles ille lymphatus horrenda praedixerat, nec arbitrabantur sibi impune futurum si in homi-

nem damna et contumelias et irrisiones passum aliquando incidissent.

Vale itaque dicens amico amicus, non sine lacrimis, divisi sunt. Pecuniae tantum erat in manibus quantum ad iter par esset. Si Genutius ad Boeram tenderet, ad Meridiem Lipenius; Italia omnis, totus immo orbis terrarum manibus eorum dominandus patebat.



Quatuor et viginti praeterierant anni a memorabili secessu illo, et quisque eorum saepe moerens de amico absente cogitaverat. Ecur id? Ut opem ferret egeno, si pauper esset, ut laetaretur et gratularetur si dives, denique ut sive pauperem sive divitem simul iterum et semper haberet.

Iamque Panormum perstrepebat fama Americani cuiusdam medici, quem, propitio aegrotis Apolline, navigium devexerat. Hic, regio utens fastu cultuque, egenis gratuito, divitibus pacto enormi pretio medicinam, si tamen convaluisent ex infirmitate, praestabat. Inter accedentium et rogantium turmas accessit ditissimus ex Anglia quidam Nummarius: qui maximis, diu incolens Indianam, opibus comparatis, Italiam salutis causa petierat recens; Panormi casu habitabat, cras iterum facile peregrinus. Cur neque cras, neque anno discessit?

In via, quae a « Maqueda » dicitur, ad exitum in plateam « Angulorum » Medicus et Nummarius deambulabant pedestres humanissima et familiarissima miscentes colloquia, dum mendicus itemque senex, at senescens calamitate magis quam annis (haec in vultu signa manifestabant) stipem rogaturus prope est.

Stetere ambo intuentes; stupuere insuper oculis inter se colloquuti, non verbis. Tum Genutius, - hic enim in Americano medico latebat, - haec lamentanti luctuosoque seni:

- « Dic, sodes: numquid olim tu Neapoli miles ad custodiendos fines, ne quid sine tributo urbem intraret? »

-- « Utique, domine mi, - respondit miles, - atque utinam mortuus essem antequam illius me vitae generi addixisset! »

- « Ecur? » - petivit Lipenius, qui Anglici Nummarii personam gerebat.

- « Duo furciferi ad maris litus ita fecerunt, ut me frustra conantem retinere latrunculos pileo expoliarint, et pileum in mare proiecerint. Undarum ludibrium longe a navicula pisatoria repertum, ad tribunal delatum galeum fuit, cuius numerus me designabat. Tunc me ambages tenuerunt innumerae; nam iuvenis quidem natans in mari detulerat ablatas sibi esse pecunias, quas in vestibus ad litus reliquerat; nihil se vidisse, praeter militem et duos pueros fugientes a loco ubi vestes depositae fuerant. Pueri non reperti unquam; pecunia chartaria, et pelliceum involucrum (haec a latrunculo abstuleram) aurei, quos ille in crumena dixit habere, mihi non erant, contra me latrabant, quippe apud me reperta sunt illa; quasi furti reus aut conscius, et praedae divisae in suspicionem adductus a magistratu non damnor, at a militia et cingulo ut indignus depellor... Et nunc..... ».

- « Et nunc, - utrique dixerunt, - esto felix, qui semper moraberis apud nos. Te certe ne-

sciente futurum, at opus tuum recte faciente, didicimus esse in labore pretium, in fortuna praesidium, in constantia bona virtutem. Quos appellasti furciferos, coram te sumus, qui te divitiis cumulabimus et quasi patrem habebimus ».

Secum una duxere; postera die abierunt; scripta autem haec, quae ego legi, verba liquerunt.

Correctionem pueri ne in crastinum differas!

G. P.

AENIGMATA.

I.

Parrula pars; huius, praepostero in ordine, prima Littera mutetur: qui Phaedri hinc inter amicos.

II.

Littera, quam antiqui liquidam dixerunt Latini, *Anteiens*; primae proprietate quae est *portio* parti Nomina praegreditur; cit *tertia*; bellua *summa*.

A. M.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet VINCENTII LANFRANCHI opus, cui titulus:

DE AENEIDE CUM FRUCTU LEGENDA.
ACROASIS.

Aenigmata an. VIII, n. VI proposita his respondent:

1) Papa-ver; 2) Roma, Amor.

Ea rite soluta miserunt:

Senior Astensis. — Georg. Cleary O. F. M.; I. B., *Roma*. — Ab. Ballerini; Mich. Zaboglio, *Novocomo*. — Seminarium Episcopale Guastallense. — Collegium Scholarum Piarum *Stellae*. — Iosephus a Firmio. — Petrus Tergestinus. — Gust. Gruner S. P., *Iachimovalt*. — I. A. C. Oudemans, *Traiecto ad Rhenum*. — Andreas Pápay, *Pruessina*. — St. Tomkiewicz S. I., *Neo Sandecia*. — Aug. Scriban, *Buzau*. — Lad. Lud. Podobinski, *Bochnia*. — Aug. Paul, *Brasovia*. — Ferd. Ferrari, *Guastalla*. — Raim. Piera S. P., *Barcinone*. — Alois. Frydek, *Regina Gradecii*. — Guil. Schenz, *Ratisbona*. — I. Walter, *Neo-Eboraco*. — A. Merky, *Bellemagney*. — D. Le Provost, *Briocen*. — P. Celsius Sironi, *Cairo*. — Alois. Berthé, *Montboron*. — Ios. Matyasak, *Seepusio*. — Maria Angelica Rudzianski, *Tiflisio Cartaetinorum*. — Th. Ogrizek, *Bulsano*. — Alois. Cappelli, *Sensi*. — Theresia Venuti marchionissa, *Roma*. — Guil. Himpel, *Grimoldstried*. — Ioan. Giambonini, *Pollegio*. — Am. Robert, *Marievitte*. — Fr. Bugada, *Cetana*. — Theod. T. Chave, *S. Boisé*. — Fel. Dacomo, *Alba*. — Ed. F. Curran, *Terra nova*. — Mich. Fasinski S. F., *Staraviesia*.

Sortitus est praemium:

GEORGIUS CLEARY,

ad quem missum est PETRI ANGELINI opus, cui titulus:

DE POETIS ET NUMERIS LATINIS.

EPISTOLARUM COMMERCII.

Cl. v. HIL... Dos..., Chicagine. — Prospectum studiorum ephebei istius accepi, placuisse tum in seniorum classe inter autores latinos recentiores Angelinium nostrum rursus assumptum videre, tum in scholis inferioribus latina colloquia instituta. Quorum specimen si ad nos miseris, pergratum feceris, honestam certationem excitaveris; nos enim in Voce Urbis ea edemus. A te interim scripta exspectamus.

Cl. v. FR. PALATA,... — Aenigmata quae misisti iamdiu *omnia vulgavimus*.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina *Facis* Phil. Cuggiani.

SUPELLEX AD RES DIVINAS.

Commentarii VOX URBIS administratio recto tramite suppeditat supellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad VOCIS URBIS administratorem (Romam, *via Alessandrina, 87*) mittantur, res praecise indicando quae quisque sibi cupit. Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

SOCIIS MONITUM.

Sociis pluribus morem gerentes Idib. Novembr. an. MDCCCCII apud Commentarii *Vox Urbis* administratorem officium instituimus quod de negotiis Ecclesiasticis esset; de expediendis scilicet rationibus omnibus, quae apud Romanae Ecclesiae « Congregationes » aguntur.

Itaque si quis prouratione nostra uti velit, profecto temperantiam in pretio, studium atque alacritatem in opere inveniet.

SATURIO,

Comoedia latinis versibus conscripta a clarissimo viro Ioanne Baptista Francesia et per Commentarii VOX URBIS paginas vulgata, in volumen redacta est, quod apud Commentarii eiusdem administratorem venale prostat lib. 1.

IN LUDIS LITTERARUM OPTIMA TIRONIBUS SCENICE AGENDI EXERCITATIO.